



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore
Animato Lib. VII.**

Dandini, Girolamo

Parisiis, 1611

Quomodo intellectio fiat. cap. 6.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

Intelle-
ctuum
genus
vera.

ceptum illud hoc quoque in loco observare quo modo voluit. Tria namque distinguit entium genera, quæ ab intellectu cognoscantur. Primum sunt materialia, alterum ipsum intellectus; postremum substantiæ prorsus à materia separata. Quæ communi quidem intellectus obiecti genere continentur, quo facultatis unitas constituitur; sed tamen tam sunt diversæ inter se naturæ, ut unus communis omnibus intelligendi modus esse nequeat. Materialia enim intelligit à sensibus hauriens atque ad phantasmata conversus. Immaterialia autem omnia seipso solo; sed alio atque alio modo. Seipsum, à materialibus rebus cognitis in se rediens, postquam fuerit singula factus; alio autem modo separatas mentes. Propterea communem unum intelligendi modum tradere non potuit; sed seorsim hæc singula membra tractavit: triaque explanationis capita fecit; quibus expositis manifestum uniuersè fuerit quemadmodum intellectio fiat. Hoc arbitror simplicium quoque voluisse, cum diuersas dixit intellectiones tradi, hoc est diuersos intelligendi modos; cum intellectus habitu à quiete ipsius animæ substantiali discedit atque ad intelligendum progreditur, tum composita, tum simplicia, tum verò etiam seipsum.

Porrò caput illud, quod est de separatâ substantiâ, non explicauit seorsim, quòd aliois alterius tractationis esse iudicaret: solumque significauit alio quodam modo à ceteris diuerso eas cognosci. Priora duo accuratè tractauit; tum quòd huius loci propria sunt; tum quòd ad ea quæ antea dicta fuerant, explicanda pertinerent. Nempe intellectum affirmavit materialia omnia intelligere; ac deinde subiunxit, post illorum intellectiōnem seipsum quoque intelligere. Idcirco horum potissimum ratio fuit exponenda. Quantum tamen ad hunc locum pertinebat, simul cum altero capite, quod est de ipsius intellectus cognitione, quoquo modo significauit, quemadmodum separatâ item substantiâ intelligantur; quia his omnibus commune est immateriale esse. Itaque ad duo capita reuocantur omnia: alterum de materialium, alterum de immaterialium cognitione.

Primum igitur caput aggreditur; queritque quonam modo materialia cognoscantur. Nam in ijs, quæ materia constant & forma, aliud esse inueniens totum illud coniunctum, quod oculis ac sensibus obijcitur; aliud formam eius, per se consideratam: aliud inquam magnitudinem, aliud magnitudini esse; aliud aquam, aliud formam & essentiam aque per se sumptam: quarum illud ex materia & forma coniunctum vna animæ parte cōprehendatur, altera illius forma & essentia. An potius eadem intelligente facultate alio aque alio modo disposita cognoscatur utrumque. Quam dubitationem aut propter Platonem posuit; aut absolute, quòd ipsa per se difficultatem haberet, atque consideratione digna. Nam non eodem, sed diuerso cognosci voluit Plato, ut ex pluribus eius dialogis manifestum est; atque à Proclo in Timæum, ab Alcino in libro quem de Platonis doctrina promulgauit, alijsque Platonis confirmatum. Intellectum esse, sensum opinionem & sensum, naturæ mediæ cogitationis, materiæ demum spuria ratione; essentias & formas rerum, hoc est ideas intellectu; sensilem hanc substantiam, quæ formam habet in

Platonis
de cogni-
tione re-
rum sen-
tentia.

A materia, opinione; ipsa sensilia, sensu; animæ substantiam & naturam cogitatione; primam materiam spuria ratione atque per habitudinem ad sensilem formas percipi.

Quod si res ipsa consideretur, probatum antea fuit immaterialem & impermixtum intellectum esse. Materialia igitur, & quæ cum materia formam habent permixtam, non videtur posse cognoscere: quippe quæ à sua natura diuersa sunt. Ac rursus etiam intelligere sine passione corrumpente sit, passionem tamen quandam perficientem significat, dum intellectilem formam suscipit. At quo modo immateriale à materiali patiat, aut immaterialis & incorporea natura materialem & corpoream formam suscipat? Sanè utramque hanc dubitandi causam ipse paulò post attinget. Tum verò si sapienter initio positum est facultates ex obiectis distinguendas esse; consequens videbatur esse, materialia & sensilia ad sensum duntaxat; immaterialia & quæ per se absque materia & sensilibus qualitibus considerantur, ad intellectum pertinere. Denique unius facultatis unum obiectum esse oportet: materialia & immaterialia plura sunt, & diuersa entium genera: plurimæque diuersitas est inter ipsas res materiales, earumque essentias; inter aquam & esse aquam, inter carnem & esse carnis: illud formam cum materia significat, hoc formam sine materia.

C Hæc est de materialium entium cognitione dubitatio, hæcque dubitandi causa. Quibus in sequenti oratione satisfiet.

Iam in verbis Philosophi obseruabis, in compluribus sanè ita rem habere, ut materia contenta & forma, habeantque formam in materia, & res à suo esse distinguatur. At non in omnibus. Quoniã in quibusdam distinctio ea non est; quod materia & formæ compositio non adit, quæ totum ab ipsius essentia distingui facit. Quod propter substantias abstractas dictum est, quæ simplices formæ sunt penitus à materia seiunctæ, & verò (ut Aristoteles credit) actus puri, in quibus essentia à singulari existentia non separatur. Fortasse etiam de solis materialibus loquens adiunxit illud propter cœleste corpus, quod sola materia simplicique substantia, non materia & forma, constare crederet. Quod si in tēx. 92. lib. primi de cœlo aliud esse dicatur hoc cœlum, aliud cœlum simpliciter; non est sermo de cœlesti corpore, sed de mundo, quem Philosophus appellat cœlum. At qui uniuersè, tum in ijs, quæ natura; tum in ijs, quæ arte constant, verè esse hanc propositionem interpretatur;

D In ijs, quæ formam habent in materia, aliud est ipsa per se forma, aliud ea cum materia permixta. Et ideo artificia quæque præter ea, quæ naturalia sunt, opportune Themistius commemorat.

E Et duplici Philosophus exemplo utitur, magnitudinis & aquæ: aqua naturalia significati magnitudinem autem etiam Averroës indiuidentum exponat; & magnitudini esse, quidditatem & formam eius interpretetur: & S. Thomas ad res mathematicas referat; quæ à sensili quidem materia abstrahuntur, at in quantitate & magnitudine, seu intellectili materia considerantur, & ideo formam quoque habent in materia. Nisi tamen utrumque sit naturalium rerum exemplum; & magnitudo corpus hoc magnum & quantum significet, quod videmus & tangimus; & magnitudini esse, quantitatem & formam, quæ magnum est & quantum: potius credendum est hunc lo-

cum cum textu illo 92. consentire; alterumque artificiorum, alterum naturalium exemplum esse: ac magnitudinē quidem figuratum & arte perfectū opus (in hoc enim plurimę artes occupantur, v. alijs atque alijs modis quantitatem figurent, hocque solum allequuntur) magnitudi autem esse figuram, qua opus illud constat, significare.

Porro de solis materialibus loquutum nunc esse Philosophum indicare illa verba videntur (in quibusdam enim idem est carni esse, & carnem) atq; in illis ipsis affirmare quasdam esse naturas simplices, in quibus duo illa non distinguantur. Neque Themistius separatas mentes, sed punctum, materiale scilicet quidpiā adducit; in quo idem sit punctus & puncto esse. Et Simplicius cœleste corpus determinatum dicit, licet sit immateriale. Priorē tamen interpretationē video magis probari Philopono, Simplicio, Averro, alijsq; permultis. & colligi ex tex. 41. libri septimi, & tex. 16. lib. 8. Metaph. ubi ea de re Philosophus disserens, in omnibus materiam habentibus aliud esse inquit quidditatem, aliud id, quod quidditatem habet: idem autem in substantijs illis, quæ omni materia carēt. Quod si exemplum carnis & esse carnis minis videatur immaterialibus illis substantijs accommodatum; nec verò vsquam idem sint caro & esse carnis: Simplicius aperitē fateatur fallum eum accepisse exemplum: & causam adferunt, tum Philoponus, tum S. Thomas. Philoponus ingenij magnitudinem, quæ exempla sæpē contemnit: scitumque est illud Averrois; In exemplis manifestationem quæri, non veritatem. Non enim adferuntur idcirco, quasi semper ita sint; sed ut id de quo agitur, explicetur, faciliusque ab addiscentibus intelligatur. Sanctus autem Thomas, quod separata substantia sint ignota, neque nominibus proprijs nominari possint, sub rerum naturalium exemplo nominatas fuisse.

Tertiam quandam interpretationem apud Albertū reperies; in compluribus quidem aliud esse aquam, & esse aquæ, hoc est aliud singulare, aliud vniuersale: non in omnibus, quoniam in abstractionibus hæc vniuersalium à particularibus in infinitum non progredimur; sed ad simplices conceptus & naturas sistimus, quæ in alias non dissoluntur. Atq; in his idē est caro & esse carnis; natura scilicet & esse illius. Verū et si hæc verè dicantur; ad huius tamen loci expositionem non pertinent; in quo non de vniuersalibus & particularibus, sed de forma & materia; deque ijs, quæ forma & materia componuntur, aut quæ simplici natura constant, est sermo; vt ex ipsiusmet Philosophi interpretatione cognoscitur in tex. 92. & 41. paulo ante citatis, & ex comparatione intellectus & sensus & cognitionis vtriusque facultatis; vt sensus materialia cognoscat, intellectus immaterialia per se & simplici cognitione, materialia per sensum & quasi reflexa & conuersa intellectione.

TEXTVS.

Ἡ δὲ οὐκ ἐστὶν αὐτῶν ἡ ὕλη· ἀλλ' ἡσάρη τὸ σῆμα τὸδὲ οὐ τῆδε.

Cava namque non sine materia; sed perinde ac simum, hoc in hoc.

COMMENTARIVS LXXXII.

Hæc verba vel ad questionem illam partē, quæ fallam esse credidit, suadendā; aduersa scilicet parte cognosci: vel ad propositæ dubitationis confirmationem, Philoponi quoque iudicio pertinent. Confirmatio autem est; quoniam caro materiale quidpiam est, nec sine materia cogitatur quemadmodum nec simitas sine naso. Itaque rationi consentaneum videtur, non eadem, sed diuersa parte intellectum ea cognoscere, quæ formam habent in materia; & ea, quæ simplici forma constant. Ceterū hæc probatio nil ab antecedente differunt habet, nisi exemplum: vt cum magnitudinem & aquam nominasset, carnem quoque addiderit. Alioqui eadem est dubitandi ratio, num hæc & ea, quæ immaterialia sunt, parte cognoscantur eadem.

Ego duobus modis interpretor. Aut enim ratio eius exponitur, quod dixerat; quædam distingui à suo esse, aliam non distingui. Ratio autem est, quod quædam habent formā in materia, alia simplices per se existentes formæ sunt. Quam interpretationem colligo ex eodem tex. 91. ante citato; in quo sententiam eandem tractans planioribus verbis hanc propositionem adfert; In omnibus, quæ formam habent in materia, aliud esse formam cum materia permittam, aliud per se considerari formam: quæ hæc sit diuersitatis causa; materia, cum qua coniungitur forma. Aut propterea fuerunt adiuncta illa verba, ne quis audiens, in quibus idem esse carnem, & carnē esse, incidere in errorem; hæcque perinde in carne atque in magnitudine; & aqua crederet non distingui. Ostendit autem etiam gratia id fuisse dictum; non quod in carne ita res habeat. Nam caro non minis, quā magnitudo & aqua, formam significat in materia; etque vt simum (exemplum Philosopho familiare) quod non solum curuitatem significat, sed curuitatem in naso; hoc est non solum formam, sed formam in materia. Hoc enim est illud (hoc in hoc). Nec minis carni & verò magnitudinem & aquæ, cæterisque materialibus formis, quā simitati conuenit. Et quanquam Simplicius paulo aliter intellexit hæc verba. (Particulam enim (hoc) formam dixit denotare: illam verò (in hoc) aut formam in materia, aut habitudinem quamcumque vnius ad aliud, tanquam indeterminatā per se atque ab illo determinatam. Quod propter cœlum adiecit, cuius forma non est in materia, sed habitudinem habet ad illud corpus, velut à se terminatum). Tandem tamen subiungit (hoc in hoc) non significare compositum, sed compositi causas; formam scilicet & materiam; siquidem forma cum materia coniuncta compositum facit.

TEXTVS.

Τὸ ψῆν ἄσθηται τὸ θερμὸν τὸ ψυχρὸν ἕως, ὅτι λέγει τὸ ἰστέ.

Sensitio igitur calidum & frigidum indicat, & quoniam tantum ratio quædam caro.

COM.

COMMENTARIUS LXXXIII.

Hæc est propositæ dubitationis solutio, an diuersa parte, an eadem alio atque alio modo se habente materialia & immaterialia cognoscantur. Cuius priorē partem Plutarchum & Alexandrum accepisse; atque materialia immateriali immaterialia cōprehendi affirmasse testatur Philoponus. Quæ opinio priscorum illud philosophorum sapit ab Aristotele in superioribus confutatam, simile simili cognosci. Verū aut illi materialia sensu, immaterialia intellectu cognosci; aut parte intellectus materialia materialia, parteque immateriali immaterialia discerni voluerunt. Priorē sententiā visi sunt ex his verbis colligere, quibus sensitiuo calidum & frigidum; carnemque, hoc est quæ formam habent in materia; intellectu autem esse carnis, & formam per se consideratam, cognosci ait.

At verè argumentatur Philoponus, superiore facultatem comprehendere quiddam inferior comprehendit, & aliquid etiam aliud; quæque potiora nouit; multo magis deteriora nosse. Deinde si materialia & sensilia non intelligeret intellectus, mentem aliquam ex parte futuram amentem, & intellectum non intelligentem; simulque *νοῦν καὶ ἀνοῦν*, mentem & amentem, intellectum & non intellectum seu intellectus expertem. Tum verò si illa quoque cognosceret, nequaquam posset errantem circa singularia & materialia sensum corrigere; cum aut remum in aqua fractum, aut solem vnus pedis esse decernit. Præterea inter materiales res & immateriales, inter singulas & vniuersas differentiam ponimus, quid; altera distet ab altera optime nouimus. At quomodo differentia inter illa ponatur, quorum vtrumque non cognoscatur? & quomodo vniuersale à singularibus abstrahatur? Cum igitur sensus ad immaterialia & vniuersa non eleuetur, non potest is differentiam ponere: neque partim sensus, partim intellectus; quoniam vnus debet esse amborum iudex: intellectus igitur entium genus vtrumque cognoscat ac discernat. Hoc argumento non solum Themistius, Philoponus, Auerroës, ac Priscianus Lydus in Theophrasti librum de phantasia & intellectu cap. 15. vsi sunt; sed Aristoteles quoque communem sensum antea demonstrauit in tex. 14.6. à particularibus diuersum esse. Quam fortasse ob causam hoc loco non vniuersè quæsiuit, an anima aut homo diuersa, an eadem sui parte & facultate ambo illa cognoscat; sed speciatim an intellectus alio tanquam instrumento, an seipso aliter se habente vtrumque percipiat. Nimirum cum supponens materialia quoque & singula cognoscere; quoniam vnus duorum iudicem esse oportet. Tum verò in tex. 19. intellectum inquit, cum contempletur, phantasma semper aliquod singulare & sensibile contempleri. Nil elarius dici poterat. Propterea cum circa idem phantasma versetur, hoc addit inter phantasiam & intellectum interesse; quod intellectus sensilia illa phantasmata componit affirmando aut negando; phantasma non item. Apertissima quoque est illa sententia in tex. 58. existimatio & ratio, hæc quidem ipsius vniuersalis est, illa verò ipsius singularis. Illa enim

A dicit oportere talem talē agere; hæc autem hoc vel illud esse tale. Existimationem namque & rationem intellectus actione constare certum est. Sanè ex intellectu pratico (cum quo idem res est, qui theoreticus appellatur, solo diuersus fine) efficax sumitur argumentum. Quoniam is totus circa res agendas & non agendas versatur. Prudentiaque & artium omnium habitus, qui intellectu versantur, ex rerum singularum ac materialium cognitionibus comparati sunt, & circa illas versantur: quod ex 6. Moraliū libro manifestū est. Omnis consultatio, ac deliberatio omnique practica ratiocinatio, est propositiōem alteram accipiat vniuersam; alteram tamen subiungit, quæ particularem & singularem rem agendam vel non agendam contineat. Non enim dici potest vniuersam intellectum, singularem sensum propositionem adferre. Tum quia sensus neque affirmat, neque negat, neque omnino componit tantum abest, vt vniuersale & singulare, hoc esse bonum asserendo, copulare possit. Neque enim is vniuersale cognoscit, neque vllam ratiocinationis partem habet: sed hæc omnia solius intellectus propria sunt. Tum quia vt de communi sensu ratiocinabatur philosophus; perinde esset ac si vniuersam ego, singularem tu propositionem adferres; constaretque ratiocinatio ex intellectione mea & intellectione tua. De inductione ac ratiocinatione, quæ per inductionem fit; de quæ propositionibus, in quibus vniuersa natura de singulari enuntiatur, vt Socrates est homo, idem dici potest. At quid hæc attinet commemorare? Vel ipsos infantes prima literarum elementa perdiscentes confulas. Illi singulas primum accipiunt literas, deinde illas componunt & diuidunt in syllabas & dictiones. Id sensus non operatur; quoniam hic nisi figuram & colorem literarum percipit, ordo verò vnus ad ad aliam, compositio & diuisio alterius est facultatis, nec sine ratiocinatione perficitur, quare & per huiusmodi disciplinam acquiritur habitus in intellectu. At qui literæ illæ sunt singulares. Et verò si materialia singularia non posset intellectus cognoscere; an id esset, quia singularia sunt? At Deum, intelligentias separatas, seipsum, suaque intellectiones intelligit. Quæ omnia singularia sunt. An quia materialia sunt? At materiales quidditates, immo materiam ipsam intelligit; totaque scientia de natura cum materia desinit; & quæcumque contemplatur, cum materia considerat, Cælum verò, sol, luna, & astra cætera, atque elementorum vniuersitates, tum materialia corpora sunt, tum singularia: quæ tamen omnia & intelligimus & contemplantur. Denique voluntatis electio, consilium & ratiocinationem intellectus sequitur; neque mouetur, nisi in id, quod ab intellectu cognitum & monstratum fuerit: at ea singulas res plerumque appetit.

Iam si posteriorem Plutarchus & Alexander sententiā accipiant; atque intellectum ipsum velint parte sui materiali materialia atque immateriali immaterialia cognoscere. Primum illa ipsa ratione conuincuntur, quæ de communi sensu disputata fuit. Vnum enim & indiuiduum ostendit esse oportere id quod plura discernit, & quid differant, dispicit. Siquidem perinde est, siue plures intellectus partes ponas, siue animæ, siue etiā hominis: siue vna intellectus parte materialia,

altera immaterialia; siue illa sensu, hæc intellectu; siue illa à te, hæc à me percipi dicas. Deinde quoniam intellectū ostensum est immaterialem totum esse; manifestum existit partitionē illam in materialem partem & immaterialem nec veram, nec philosopho contentaneam esse; nullumque materialem intellectum existerē materialibus cognoscendis destinatum. Neque vna & eadem animæ vis & facultas partim materialis, partim immaterialis cogitari potest: multò verò minùs eius animæ, quæ tota immaterialis sit.

Cum igitur ait philosophus (sensituum iudicat) dubium non est, quin intellectus iudicare affirmetur, de quo solo proposita fuerat dubitatio. Sed cum iudicandi modus quaereretur, num is iudicaret alio, an seipso aliter se habente; responderetur materialia & sensilia sensitui, hoc est (vt exponit Themistius) serente suppetias sensu: vel vt ait Philoponus, sensitui vtentem instrumento eum iudicare. Cuius ratio est, quoniam hoc postulat facultatum natura & positus cognitionis ordo; vt inferiores facultates quemadmodum sunt natura priores, ita priùs, quàm superiores, agant: & vt hæ sine illis esse nequeunt, ita nec operentur. Quod in particularibus quoque sensibus & communi perspicuum est. Intellectus verò, qui sensilis corporis est actus ab illius sensibus cognitionem suam inchoare debet. Et vt ipse inorganicus est, nec vlla corporis parte contentus; sic omnibus adest sensibus, statimque accipit quæcumque ab illis fuerint comprehensa. Non tamen sensilia dixit, sed calidum & frigidum aliaque id genus qualitates. Quia cum sensituum nominasset, si sensilia subiunxisset, quæ formale sensitui obiectum significant; visus fuisset respondere, non intellectum sensitui, sed sensituum ipsum de illis iudicare. Propterea materiale obiectum nominauit; vt qualitates eas intelligeremus duobus modis considerari; & vt sensiles sunt, & vt intellectuiles; quia scilicet entia quædam sunt: easque vt sensiles sunt à sensitui iudicari; vt autem intellectuiles, ab intellectu vtente sensitui vt instrumento. Sic enim sensituum & intellectus sensitui sensilia iudicant.

Iam tactiles potissimum qualitates commemorauit; siue quòd omnium primæ atque aliorum principia sunt; & idèd commemoratis illis omnes quasi commemorantur: siue potiùs quòd caro, de qua erat sermo, earum temperatione existat & conseruetur. Dixitque calidum & frigidum, non calorem & frigus. Tum quòd hæc formam per se, illa formam in materia significant, illudque entium genus expriment, de quo querebatur, an intellectu, an alio cognosceretur. Tum quòd sensitui calidum & frigidum, non calorem & frigus, iudicat intellectu; calorem autem & frigus ipse per se solus. Atque vt breuior esset oratio, post calidum & frigidum cæteras omnes qualitates sensiles communi complexus est clausula (& quorum inquit ratio quædam est caro) quod ad definitionem Philoponus retulit: siquidem per materiam adferri solet naturalis definitio, qualitatumque illa temperatio, materię ad formam dispositio est. Simplicius autem proximam causam interpretatus est. Quorum, inquit, ratio quædam est caro, hoc est quorum proxima causa est deter-

minata substantia. Hæc enim determinatorum omnium accidentium proxima censetur causa: de & propter ipsam subsistunt. Planius fuerit exponere, quæcumque ad efficiendam & abfoluendam carnem pertinent: & vt verbum verbo reddamus, quæcumque ad proportionem & temperiem adducta gignunt & constituunt carnem, seu continentur in carne. Neque enim intelligendum est carnem formaliter huiusmodi proportionem esse, neque per aliam substantiam formam constitui: sed accidentariam dispositionem pro substantia forma posuit, quæ in illa dispositione, qualitatumque permissione consistit. Quia cum intellectum diceret sensitui cognoscere, propriam & per se sensitui obiectum adferendum fuit: sensituum autem qualitatium & accidentium est non substantiam.

Hoc igitur est, quod de sensiliis & materialium cognitione constituit: ea ab intellectu eodem cognosci, sed qui sensu proprio suum obiectum perferente atque ad intellectum transmittente vtatur.

TEXTVS.

Αλλω δὲ ἢ τῶν γαιεῖων, ἢ τῶν κρυφαίων τῶν ἐπὶ αὐτῶν ὄντων ὁμοίῳ τὸ πρὸς αὐτοὺς ἴσως καὶ αἴσθη.

Alio autem, siue separabili, siue reflexa ad seipsum se habet, cum fuerit extensa. Esse enim carnis extensa discernit.

COMMENTARIVS LXXXIV.

Ad propositam questionem quid philosophus respondeat, non conuenit inter interpretes. Plutarchus & Alexander, vt dictum est, responderi voluerunt, alio cognosci materialia, alio immaterialia; materialia materialia, immaterialia immaterialia. Contrà Philoponus eodem intellectu aliter se habente; materialia quatenus vtitur sensu vt instrumento; immaterialia, dum per se sine sensu operatur. Simplicius demum partim alio, partim eodem aliter se habente. Qualitates quidem & accidentia sensilia (sensituum) eodem autem intellectu simplices terminos ac substantiales formas, ipsamque terminatam substantiam: secus tamen se habente, quatenus aut extra se progreditur & ad extera se explicat vt formatas ac terminatas substantias cognoscat; aut apud seipsum manet, atque in seipso terminos ac formas, quas apud se habet, contemplantur. Itaque superioribus verbis Philoponus vtamque responsionis partem, alteram explicatè, alteram tacitè contineri dixit. Apertis enim verbis philosophum pronuntiasse intellectum materialia sensitui cognoscere: reliquum substituisse, quoniam subaudiari facile poterat, immaterialia ab eo per se comprehendi. Hanc autem consequentem orationis partem per interrogationem legendam esse. Interrogari verò, nunquid ex intellectu partes, per quas materialia & immaterialia indicat, à se inuicem separatae sint; an sicut linea recta & flexa eadem est linea, sola ratione diuersa.

Ve. am

Verum hæc quaestio illa ipsa est, quæ antea fuit proposita, an diuerso, an eodem aliter se habente intellectus cognoscat. Quorsum igitur post inchoatam eius explanationem rursum proponatur, inchoataque interrumpatur explicatio? Melius Simplicius eam arbitratur absolui, partemque alteram explicari; quomodo eodem aliter se habente cognoscat, tum formas ipsas, tum formatas substantias. Hoc enim potius, quam immaterialia, significat illud (esse carni). Quippe de immaterialium & abstractorum cognitione nondum loquitur: sed de illis solum agit, quæ formam habent in materia; in quibus magnitudinem, aquam, carnem, & esse magnitudini, aquæ, & carni distinxit. Quare ut antea (esse carni) quiditatem & formam per se consideratam significabat, ita nunc significare oportet. Quod tamen solas qualitates & accidentia sensitio affirmavit Simplicius ab intellectu cognosci; philosophi sententiam contraxisse nimis videtur. Nec enim singularem materiam substantiam, qua separare debet quiditatem & naturam per se absque materia & accidentibus considerandam, potest cognoscere nisi per sensum. Qui etsi substantiam non penetrant, sed in exterioribus solis accidentibus consistant, dum tamen hæc percipiunt, aditum ad substantiam intellectui aperiunt. Sanè sensitio non solum calidum & frigidum, sed carnem item, hoc est materialem substantiam singularem cognosci dixit; si germanum illorum verborum sensum fueris assequutus: Sic igitur habet. Accidentia quatenus sensilia sunt, sensus per se cognoscit. Id in bellis manifestum est. Eadem illa ut intellectilia sunt; atque adeo singularis substantia sub illis contenta, solo intellectu percipiuntur; at non sine sensu. Propterea illa absolute ab alio intellectu diuerso comprehenduntur; hæc ab intellectu vtente alio. At is postquam à sensu ad materialem substantiam singularem fuerit introductus, formam separat à materia; quiditatemque & essentiam per se & absolute considerat: Non amplius aliud vtens, sed seipso solo. Atque hoc est, quod dicitur, esse carnis discerni alio; hoc est intellectu ipso, qui à sensitio, quo carnem singularem, & accidentia cognoscere illum dixerat, diuersus est. Alio autem, siue vt separabili à sensitio, siue vt linea recta ad seipsam flexa; dum ad sensum & phantasiam sese conuertit. Nam quemadmodum forma & quiditas per se considerata menteque abstracta, à materia & sensibus accidentibus separata est, neque in ea sensibile quidquam continetur; sic ad intellectum pertinet vt à sensu separabilis est, & per se operari eaque contemplari potest. Ac quoniam eadem re ipsa est forma, quæ in materia existit, quæque mente ac cogitatione abstracta est; intellectus quoque, qui & abstractam intuetur, & eam in materia cognoscit, idem est nec nisi ratione à seipso distinguitur: sicut eadem est linea recta & flexa. Nam dum simplicem formam pura & simplici intellectione per se intuetur, veluti linea recta est: dum vero eam aspiciat in materia compositamque substantiam intelligit, euadit tanquam linea flexa: quoniam ad sensum &

Materia
substantia
ut
cognoscitur.

Intellectus
ut
lineare
ita
flexa.

A phantasiam sese conuertit, & quasi recuratur. Rursum etsi abstractam formam solus is cognoscat, vt separabilis à sensu: dum tamen eam abstrahit, vtitur sensu, & phantasiam inspicit. Propterea partim vt separabilis videtur, partim vt linea recta & flexa.

Ergò ad quaestionem propositam, an forma & quiditas cognoscatur diuerso ab eo, quo cognoscitur id, quod formam & quiditatem habet; omnino responderi vtumque dici posse diuerso quidem; quatenus alterum sensitio cognoscitur, alterum intellectu solo, quatenus à sensitio diuersum est: eodem autem, quatenus idem intellectuum aliter atque aliter se habens vtumque cognoscit, alterum per se solum operando, alterum ad sensum & phantasiam conuersum: illud vt linea recta, hoc vt flexa & curuata. Quo exemplo pulchrè significat identitatem rei cum rationis diuersitate. Quem admodum enim eodem lineam curuare ac flectere, & rursum dirigere possumus: sic sanè intellectus & ad sensum ac phantasiam curuatus & flexus carnem intelligit; & mox ad propriam suam operationem directus carnis quoque esse discernit. Ceterum hoc exemplum ex Platone desumptum fuisse Themistius indicat. Nam is quoque actiones intellectus exponens circulis vtatur, altero curuato & volubili, altero recto. Sed cum is plures afferret, Aristoteles vnum accipit, vt facultatis vnitatem ac multiplicem operandi modum doceret. Flexamque potius lineam, quam circulum, nominauit: maiori scilicet similitudine; quòd circulus reditum ad idem, linea flexa deflexionem duntaxat ad alterum significat; vt cum intellectus à seipso ad sensum & phantasiam declinat.

Distin-
ctio ra-
tionis.

C Porro Auerroës cum vitiatum haberet textum, à vera huius loci interpretatione toto aberrauit celo. Ego duo obiter adnotabo. Alterum quidem, intellectum non naturas modò vniuersas aut immateriales, sed singulas quoque & materiales cognoscere. Quæ Themistius quoque Philoponi, & Simplicij est aperta sententia; quam argumenta in superiori commentario significata demonstrant. Omninoque Auerroës & Auerroistarum illud explodendum est, singularem substantiam cogitativa, hoc est sentiente facultate cognosci, vniuersalem intellectu. Nam substantia sensibilis non est. Et planissima oratione Simplicij hoc loco & antea in commentario textus 132. & Philoponi in expositione text. 133. & 135. sensum inquit in accidentibus solis versari, nec substantiam vllam percipere, sed hanc intellectu solo & mente comprehendit.

Intelli-
cti sin-
gularia
& ma-
terialia
cognos-
cere.

E Alterum autem, opinionem illam complurium Latinorum, intellectuales species ab intellectu diuersas, tanquam ad intelligendum necessarias, asserentium, minus veram esse, vel ex hoc loco intelligi posse. Fatentur namque illi ipsi species eas vniuersarum duntaxat naturarum esse; easque solas, non item res singulas representare, quippe quæ ab illis omnibus conditionibus, quibus singulæ res constabant, fuerint separate. Ad dunt, nullas esse præter has, rerum singularum species. Iam igitur, dum res quoque singulas intelligit intellectus, aut phantasmata ipsa specierum

Contra
species
intelle-
ctuales.

loco in intellectu suscipiuntur; quod vel ipso-
rum confessione fieri non potest; aut abique
speciebus eas intelligit, sola propositorum phan-
tasmatum inspectione. Non est igitur species
ad intelligendum necessaria: eodemque modo
in proposito phantasmate natura à determinatis
conditionibus separans vniuersam eam intelligit.
Nam si tantopere, vt inquirunt illi, necessaria esset
ad intelligendum species sine illa constaret nulla,
ne rerum quidem singularum, intellectio. Quod
si hæc constet, non est igitur intellectio, vt
intellectio est, necessaria.

TEXTVS.

Πάλιν δ' ἐπὶ τῶν ἐν ἀφαιρέσει ὄντων, τὸ εὐθὺς ὡς τὸ
σπῆν' ὑπὲρ συνεχῆς γδ.

Rursus autem in his, que in abstractione sunt, re-
ctum vt simum. Cum sensu enim.

COMMENTARIVS LXXXV.

Quod de naturalibus compositis exemplo
magnitudinis, aquæ, & carnis; aut etiam
tum de artificiosis, exemplum magnitudinis;
tum de naturalibus, aquam, & carnem memo-
rans: aliud in illis affirmavit esse rem ipsam,
aliud esse rei: aliud id, quod quiditatem habet;
aliud quiditatem ipsam. Hoc ipsum nunc de
mathematicis rebus adiungit. Artificiosa cum
naturalibus coniunxit; quoniam non minus il-
la, quàm naturalia, in sensibili materia consistunt &
considerantur, perindeque de utroque entium
genere iudicandum est.

Mathe-
matica
abstra-
ctio.

Cor de mathematicis seorsim dixerit, ipso-
met rationem significat: quoniam in abstra-
ctione à sensibili materia versantur. Dicuntur hæc
in abstractione versari, ait Simplicius, quod
non sint substantiæ per se seorsim existentes,
quemadmodum Pythagorici voluerunt, vt ha-
beretur in Metaphysicis; sed in rebus naturalibus
existunt, solaque mentis actione separantur ab
illis. Nihilominus cum non ab omni materia
separentur: sed quantitate constant, quæ velut in-
tellectilis materia est earum figurarum & formarum,
quæ in disciplinis illis considerantur; illud quoque
genus entium formam habet in materia, intelle-
ctili scilicet; vt trianguli, quadranguli, aut
circuli formam in quantitate. Idcirco in illis
ipsis aliud est res, aliud esse rei; aliud forma, &
esse trianguli alteriusque figuræ, aliud triangu-
lus aut figura. Habes de hac abstractione alibi
sæpè, vt in secundo Physic. libro tex. 18. & 19.
& libro 6. Metaph. tex. secundo, & libro 13.
eiusdem operis capite tertio deque duplici ma-
teria, sensibili atque intellectili, in 7. libro Meta-
physicæ tex. 35. & 39. & libro 8. tex. 15.

Porro quod rectum ait in mathematicis ha-
bere se vt simum, facillè intelligetur, tum ex

A superiori oratione, qua carnem dixit perinde
habere esse cum materia, ac simum; tum ex
subsequenti tex. 35. aliisque citatis locis; in
quibus naturalia entia sæpius affirmate consti-
tuit esse sicut simum; quod formam in materia
sensibili significat, cavitatem, seu curvitatem in
naso; aut si malis, cauum aut curuum natum:
mathematica verò sicut cauum, aut curuum,
quæ à naso & sensibili quavis materia abstractum,
solumque quantitatem figura præditam dicunt.
Quare quod alibi cauum aut curuum, hie-
ctum nominat: perindeque in mathematicis re-
ctum significat formam in materia intellectili,
atque in naturalibus simum in materia sensibili.
B Nam vt simum est cum naso, ita rectum cum
continuo, hoc est cum linea. Et vt illud nasi,
sic hoc lineæ & quantitatis figuram indicat; ut-
rumque formam in materia. Non minus igitur
in mathematicis aliud est rectitudo & figura,
aliud rectum seu linea, & figuratum; quam in
naturalibus simitas sit aut forma, & simi aut for-
mam habens. Sed quemadmodum utrobique ma-
teria est & forma, sic utrobique differunt res &
esse rei.

Adnotabis autem hæc verba (cum continuo
enim) superioribus illis responderi (caro nam-
que sine materia): vnde tria intelliges. Pri-
mum erit; causam, cur in entibus distinguitur
res & esse rei, compositionem esse ex ma-
teria & forma; distinctionisque principium esse
materiam, siue sensibilem, siue intellectilem.
Idcirco substantias ab utroque materia genere
abstractas voluit philosophus esse actus puros,
idemque in illis esse ipsas & esse ipsarum. Quod
tamen in solo Deo verum est. In cæteris, quæ
à Deo productæ sunt, alia quædam cernuntur
compositio, essentia & existentia; quæ essen-
tiam facit distinguere à re, quæ essentiam habet. Sed
de hoc aliàs.

D Alterum, quid sit intellectilis materia, et-
ca quam alibi dicitur mathematicus veritas; quæ
quòque modo à sensibili distinguatur. Quod enim
inquirunt aliqui materiam intellectilem esse
cuiusque rei substantiam à sensibilibus omnibus
qualitatibus & accidentibus separatam, cum
quibus materia sensilis coniuncta est, eamque
per se consideratam; neque verum est, neque
Aristoteli consentaneum. Etenim Mathematicus
à sensibili quidem materia abstrahit, ac intel-
lectilem contempletur. Non contempletur
autem substantiam, sed substantia & sensibilibus
omnibus qualitatibus resectis solam accipit
quantitatem. Quod ex definitionibus omnibus
manifestum est, in quibus substantiam num-
quam accersit. Atque si astrologia dicitur in
textu 44. libri 12. Metaphysicæ cælestem sub-
stantiam considerare: Primum ea dicitur inter
mathematicas disciplinas esse sola, quæ substan-
tiam consideret; intellectilis verò materia com-
munitatis est. Deinde eo modo id affir-
matur, quo perspetivam quoque in tex. 20. lib. 2.
Physic. scriptum est considerare lineam, non
vt mathematica est, sed vt physica. Non in-
quam vniuersè vt linea est, quo modo à geome-
tria tractatur; sed vt est hæc linea subiecto tali
determinata: non subiectum illud physicum
cognoscendo

cognoscendo; sed determinatam lineam considerando. Sic enim Astrologia quoque celestem substantiam considerare dicitur, quatenus non aliam, quam cœlorum, quantitatem contemplantur: illorum tamen corporum substantiam non attingendo.

Extat aperitissima philosophi interpretatio, tū hoc loco, tum in II. Metaph. libro cap. 3. Nam hoc loco in mathematicis inquires id esse continuum, quod in naturalibus est materia; intellectibilem materiam dicit nil esse aliud, quam quantitatem ipsam velut figuratum subiectum (continuum autem appellat, & non quantum uniuersè; quoniam de recto loquebatur, quod in continuo uelatur). In II. autem Metaphysicæ Vniuersè magis, mathematicus, inquit, circa abstracta speculatur. Tollendo namque sensilia omnia solum dimittit quantum & continuum; horum quidem ad unum, horum uero ad duo, horum autem ad tria: & affectiones eorum prout quanta & continua sunt, non prout aliquid aliud speculatur. Et horum quidem situs ad inuicem considerat, & ea quæ eis insunt; horum uero commensurationes & incommensurationes, horum autem rationes. Ex quibus uerbis cognoscitur, & quid intellectibilis materia sit, & cur ita nominetur. Intellectibilis. n. materia quantitas sola est à substantia sensilibusque accidentibus omnibus separata. Quæ ideo intellectibilis materia nuncupatur, quod hoc quidem cum sensili materia conuenit, quod ut hæc naturalium formarum, sic illa proprietati, quæ de ea demonstrantur, subiectum est. At in eo differt, quod illa sensilibus qualitatibus prædita in natura subsistit, hæc ab ijs omnibus separata, mente sola & cogitatione cohaeret: illa reales, hæc intellectuales formas suscipit: illa ab agente naturali, hæc ab intellectu nostro diuersas de illa proprietates demonstrant.

Tertium, quod ex illis iisdem uerbis intelligitur, est: minus benè Philoponum ea interpretatum fuisse, cum continui uoce, tum recti, tum simi, materiam & subiectum intellexit; quod ambo in continuo aliquo corpore sint. Etenim ut rectum uelut ens mathematicum simo antea nominato uelut enti naturali opponitur: ita continuum ut intellectibilis materia recti opponi debuit sensili materie nali superius commemorata, in qua consistit simum. Continuum enim intellectibilem solum materiam mathematicorum entium, recti inquam, non simi, propriam significare, testantur uerba ex II. Metaph. lib. proposita. Quod uero idem interpretis mathematica entia esse asserit materialia, quod quantitas illis materia sit, figura forma; minus propriè dicitur. Siquidem hæc ab ea, quæ propriè materia dicitur, abstracta sunt; minusque propriè & per similitudinem potius intellectibilis materia nominatur.

A

TEXTVS.

Τὸ δὲ πῶς εἶναι, εἰ ἐστὶν ἕτερον τὸ εὐθεῖον εἶναι, καὶ τὸ κύβητον ἄλλο. ἔγω γὰρ δεῖξαι, ἕτερον αἶμα, ἢ ἐκείνου ἕτερον πικρὸν, καὶ ἕλκος αἶμα ὡς χροεῖα τα πρὸς ἕτερα τῆς ἕλης, ὅπου καὶ τὰ πρὶ τὸν γούρ.

Quod quid autem erat esse, si diuersum sit recto esse & rectum, alio. Est enim dualitas. Alio itaque aut aliter se habent indicat. Et omnino igitur, ut separabiles à materia res, sic & quæ circa intellectum.

COMMENTARIVS LXXXVI.

Quod quid erat esse, formam, essentiam, & quiditatem rei philosopho significare, notissimum est. Inchoatum autem de mathematicis rebus sermonem absolui, perspicuum. Quoniam igitur non minus in his, quam in naturalibus, est forma in materia, & rectum in illis se habet ut in naturalibus simum; si in illis quoque aliud sit forma, aliud compositum mathematicum, quod formam habet; aliud rectitudo, aliud linea recta: consequens item fuerit, rectitudinem, quæ est forma, essentia, & quiditas rei rectæ, alio cognosci ab intellectu, alio id quod rectum est & compositum.

Vbi Simplicium hypotheticam & conditionalem loquutionem asserentem ex eo profectam fuisse, quod hæc nunc pertractare nollet, quippe quæ in Metaphysicis pertractasset; mirari satis non possum. Namque hoc ipsum agit: atque ex eo deducit, quod rectum se habere dixit, ut simum, & mathematica ut naturalia: hancque ob causam hypothetica utitur oratione. Quasi diceret; Rectum se habet ut simum aliudque; est rectum, aliud recto esse: hoc posito, seu cum hoc ita sit consequens est alio atque alio cognosci rectum & esse recto. Vel conditionalis particula, ut alibi sæpè, causalis vim habet; quia ex eo, quod rectum est ut simum, diuersumque est recto esse & rectum; oportet sanè alio hæc atque alio cognosci. Quocirca quod Philoponus quoque dubitando hæc dicit credidit, totiusque dubitationis solutionem uerbis illis contineri (& omnino dicitur ut separabiles, &c.) minus uerum fuerit. Quia cum rectum se habere ut simum potuisset, non erat amplius dubitandi locus, aut certe fuisset superfluum dubitare. Quippe si eodem modo se habet, consequens est eodem item modo cognosci. Philopono ita interpretandi hæc fuit causa, quod non alio, sed eodem aliter se habente uellet hæc comprehendere. Aristoteles autem, ut carnem, quæ est, ut simum, & esse carnis, alio discerni pronuntiauerat; ita & de recto affirmat.

Causamque subiungit, quoniam recto quidem esse forma, est quasi unitas; at recto esse & rectum, hoc est compositum, est dualitas. Quod nequaquam cum sancto Thoma ad Platonem referas; neque cum Philop. & Simplicio de solo recto & composito

LLL ij

tamē communi materia constat: & intelligentia suam orbem mouet; & mundus, inquit Philoponus, perficitur ab opifice: tamen & opifex Deus & intelligentia cetera materia omnis expertes sint. Nihilominus aut ab Aristotele acceptū fuit; quod dubitationem proponeret, cui probabilis & apparens, non necessaria, satis esset ratio. Aut usurpatum propterea, quod et in materiale agat immateriale, materiale tamen in immateriale non agit. Quoniam inferioris est conditionis: & cum non nisi materiale actum producat, is non nisi ex materia potestate educi, atque in ente materiali suscipi potest. Hocque ad confirmandam dubitationem propositam satis erat; ostendendumque intellectum immateriale à materialibus entibus non pati.

Iam verò si hinc quoque contendant Philoponus & Simplicius aduersus ea, quæ in principio dicta sunt, dubitari posse; quomodo intelligere sit pati, aut intellectus immaterialis & impermissus: per se sanè licet. Modò intelligant & fateantur, non id primaria intentione agi; sed aduersus id, quod proximè de materialium cognitione dictum est, dubitationem proponi. Hoc enim ad eam rem, de qua in præsentia agitur, magis pertinet, magisque ordinatam philosophi tractationem facit.

TEXTVS.

Εἴ τι αὐτὸν ἴσως ἔστι δύναμις ἢ ἴσως αὐτὸν ἴσως ὁ νοῦς ἐκπέσει, εἰ μὴ κατ' αὐτὸν αὐτὸν νοῦτος. ἢ δὲ πὶ τοῦ νοῦτος αὐτοῦ, ἢ μετὰ τοῦ νοῦτος πὶ ἑσέως, ὁ πῶς αὐτὸν αὐτὸν, ὁσπέρ τι ἀλλ'.

Tex. 13. Præterea si intellectus & ipse. Aut enim alijs quoque meriti intellectus, nisi per aliud intellectus ipse. Intellectibile autem unum quoddam specie: aut missum aliquid habebit, quod intellectibilem ipsum facit in cetera.

COMMENTARIVS XCVIII.

Themistius hunc locum planè prætermisit: & quasi ordinatè magis singula digerès priori dubitationi propositæ solutionem statim adiunxit, quam in consequenti textu adfert philosophus: tum alteram hanc dubitationem attingens, ipsius dilutionem subtexit. Aristoteli autem placuit, antequàm priori satisfaceret, posteriorem hanc quoque inducere, & utramque simul post explicare.

Dubitatio est, an intellectus ipse sit intellectibilis, quoque modo seipsum intelligat. Philoponus esse tertiam: Simplicius & Auerroës alteram. Sed Auerroës de intellectu materiali, qui potestate dicitur: Simplicius de eo potissimum, qui est habitus. Ferè enim ad eum locum dubitationem hanc referunt, in quo de intellectu habitu superius dictum est, intellectum seipsum intelligere. Atque is vere est, qui potestate proxima seipsum potest intelligere; etsi intellectus quoque potestate quoquo modo, nempe potestate prima & remota possit. Ego secundam esse dubitationem consentio: at eam non puto ad-

versus hunc locum proponi: verum absolute à philosopho moueri, ut alterum illud, quod ante illa posui, de intelligendi modo, aggrederetur, quomodo seipsum intelligat. Hoc enim quærens erat dicere, postquam de materialium intellectione dixisset. Nam etsi dictum fuisset an superioribus, intellectum ubi fuerit singula factus; seipsum intelligere: hoc tamen non tantum intellectione modum, quàm ordinem significat, quo cetera prius, tum seipsum intelligit. Verum ostendat modum; quoniam operatio materia & conditio ex obiecti natura & conditione petitur; & idè ex natura quoque & conditione materialium quo modo ea intelligantur, et posuit: pulchrè nunc dubitat, an & quemadmodum intellectus sit intellectibilis. Vt enim ipse fuerit intellectibilis, ita & illius intellectio se habebit.

Sanè intellectibilem eum esse certum est, quoniam si intellectibilis non esset, nec seipsum intelligeret nec quemadmodum sese intelligat querendum esset. At vel intellectibilis est seipso, quatenus intellectus est; vel per aliquid aliud. Si seipso eademque ratione & intellectus est & intellectibilis; omne intellectibile, vel etiam lignum & lapis, fuerit intellectus. Siquidem, ut in primo de posteriori analysi libro traditur, id, quod quatenus ipsum dicitur, reciprocè dicitur. Quare si intellectus, quatenus intellectus, est intellectibilis; intellectibile itè, quatenus intellectibile, erit intellectus.

Et rursum quoniam quod dicitur quatenus ipsum, de omni & vniuersè dicitur; si intellectibile, quatenus intellectibile, est intellectus, omne intellectibile intellectus erit. Sin autem non seipso, quatenus intellectus, sed per aliquid aliud aliaque ratione intellectibilis est; non erit simplex, & impermissus; sed ex intellectu tanquam materia, & intellectibili tanquam forma compositus: quemadmodum de illis dictum est, quæ formam habentia materia: quæ intellectu per se comprehenduntur, quatenus formam, quiditatem, & essetè significant; alio autem, id est sensu aut phantasia, quatenus res sunt & in materia existunt. Immo nec seipsum totum intelligeret, sed solum qua parte intellectibilis esset; hoc est solum quiditatem suam, non seipsum totum. Quod si hæc pars aliquid sit illi superinductum, deducit etiam possit, eum omnino seipsum non intelligere, sed superinductam illi formam, qua intellectibilis factus est.

Itaque ut priorem dubitationem de immateriali intellectione deduxit ex eo, quod antea de illius natura & actione docuerat, impermissum eum atque intellectione passionem quandam esse: ita posteriorem hanc de sui ipsius cognitione ex eodem principio mouet, quod illum tradiderat: cetera nulla materia permittum esse; atque hoc à materialibus differre, quæ in materia formam habent; & per aliud, hoc est per suam formam, non seipsum, intellectibilia sunt. Propterea enim de intellectu dubitat, quomodo intellectibilis sit. Nam si seipso toto, quatenus intellectus est, intellectibile omne intellectus erit: si per aliud, hoc est per suam quiditatem ab ipso diuersam, ut cetera; erit igitur in ipso aliud quiditas, aliud id, quod quiditatem habet: eritque perinde ac cetera cum materia permittum.

Paulò aliter ratiocinationem hanc ita colliges

liges. Aut intellectus est intellectibilis, quatenus est intellectus; & tunc nihil erit intellectibile, quod intellectus non sit; ipsaque materialia intellectum habebunt, quo intellectibilia sint: aut quatenus cum intellectibus ceteris commune quidpiam habet; atque ita compositus erit, & cum ceteris rebus permixtus; non simplex & impermixtus. Propterea secundam hanc dubitationem cum prima statim coniunxit, antequam prioris solutione adferret, Et si ad capita tractationis diuersa pertinerent. Quoniam utraque ex eodem principio petitur: ex eo inquam, quod intellectus est simplex neque cum villa materia permixtus. Ea quoque fuit mouenda huius dubitationis causa, quod cum in materialibus dixerit aliud esse rem, aliud esse rei; atque in penitus abstractis post dicturus sit, hæc duo idem profus esse, neque omnino distingui: docendum fuit, vt in intellectu, qui media videtur esse natura, res hæc se habeat.

Verba porro illa (intellectibile autem vnum quoddam est specie) interiecta fuisse putat Philoponus; solutionemque secundam dubitationis in superiori contextu propositam continere; antequam posterior adducatur pars huius, que illi tertia est; vel vt aliis placet, prioris absurdi in hac dubitatione deducti, omne intellectibile fore intellectum. Qui propterea coguntur dicere corruptum esse Philoponilocum, neque (secundi) sed (primi) legendum esse. Responderi autem, intellectibile non esse vnum numero, sed specie; quoddamque proprie, aliud improprie intellectibile nominari: proprie intellectum esse & immaterialia omnia atque vniuersalia, que actu; improprie materialia & singularia, que potestate sunt intellectibilia. Verum credi vix potest tam perturbatam fuisse philosophi orationem, vt in media argumentatione interponeret solutionem, rectumque ratiocinationis cursum impediret. Deinde solutionem eam inferius adducet. Tum vero falsum est, intellectibile proprie & improprie eadem esse specie; immateriale siquidem & materiale, tum specie differunt, tum fortasse etiam genere. Credendum potius est, eam esse prioris huiusce dubii partis confirmationem: hocque argumento ostendi in intellectibus omnibus intellectum fore; quia intellectibile est vnum specie. Si enim intellectus & intellectibile sunt idem, sanè intellectibilia omnia eiusdem speciei sunt; omnia igitur erunt intellectus. Est vero falsum sit intellectibilia omnia eiusdem speciei esse, vt ipsemet post respondebit; ad dubitandum tamen satis est apparet ratio, que ex proportione obiecti & facultatis occurrat. Vt enim intellectus noster vna est specie facultas, ita illius obiectum intellectibile vnum specie videtur esse oportere. Ac formale quidem obiectum sic se habet; quoniam vna est intellectibilis ratio materialibus & immaterialibus entibus communis. At natura illa, que intellectui proponuntur intelligenda, maiorem multo inter sese diuersitatem habent. Fortasse etiam nullam verba illa probationem continent: sed quasi pars cum superioribus copulantur, & hypothetica sunt, & velut suppositio; hoc modo; si intellectus non per aliud, sed seipso intellectibilis est, atque intellectibile omne vnum quoddam est specie, aliis quoque intellectibus inest intellectus.

Tertia demum interpretatio fuerit; vt co-

dem quidem modo coniungantur verba; at non intelligamus eiusdem intellectibilia omnia esse specie, sed intellectibile & intellectum esse vnum specie; quemadmodum intellexit Simplicius: Hæcque fuerit dubitatio. Si intellectus seipso intellectibilis est, ita vt intellectibile sit vnum specie & ratione cum intellectu; neque hæc duo, non dicam re ipsa, sed ne intelligendo quidem separari queant; vbi cumque fuerit intellectibile, erit & intellectus; omnique intellectibili, vel etiam materiali, inest intellectus.

TEXTVS.

ἢ τὸ αὐτὸ πάρεστι κατὰ κοινὸν τῷ διδόντι καὶ πρῶτον, ἢ τὸ δοῦναι πρὸς τὴν τὰ κοινὰ ἢ τοῦ. ἀλλ' ἄλλως γένοιτο δὲν αὐτὸν αὐτὸν ἢ ἄλλ' ἄλλως.

An pati quidem secundum commune quoddam diuisum est prius? Quoniam potestate quodam modo est intellectibilis intellectus; at actu nullum antequam intelligat.

COMMENTARIVS LXXXIX.

Prioris dubitationis hæc est solutio. Passiois vocem omonymam esse. Neque quidquid patitur opus esse commune cum patiente habere materiam. Etenim in 2. lib. cum de passione, que est in sensu, ageretur: duplex passio diuisa est: vna corrumpens, & vt ait Auerroës, cum transmutatione: altera perficiens & absque transmutatione. Atque hoc est, quod ait; pati secundum commune quoddam diuisum fuisse prius. Etenim eo loco prodidit, pati simplex quidpiam non esse, sed commune, tum corrupti alterationi, que ad priuatas est dispositiones, hoc est ad interitum atque antecedentis forme priuationem; tum perficienti, que est ad habitum & naturam conuenientem perfectionem. Diuisionem eandem non multo antea fecit in hoc quoque 3. lib. tex. 2. cum intelligere dixit aut esse pati ab intellectibili, aut aliquid simile. Quare non immerito Themistius quali interpretans illud (prius) A nobis, inquit, iterum luggerenda sunt ea, que sæpè monstrauimus. Quod corrumpente passione & cum transmutatione patitur, comunem sanè materiam habere debet. Quoniam id, quod ita patitur, contraria in se habet illi, quam patiendi suscipit, corrumpentem qualitatem: contraria vero circa comune subiectum verlantur. Quare materiam adnotat Auerroës causam non esse receptionis & passionis vniuersæ; sed eius que transmutabilis est. Receptionis autem & passionis simpliciter, esse ipsam rei naturam aptam ad aliud: patique dicitur quidquid eiusmodi est; interdum cum alicuius corruptione, interdum sine corruptione, sed perfectione sola. At non item communi materia opus habet id, quod duntaxat perficitur. Ecce enim, inquit Philoponus, mundus à conditore perficitur; sublunariaque hæc omnia reguntur à celestibus & perficiuntur; & aer perficitur à lumine; corpusque celeste ab intelligentia atque vna intelligentia ab altera, dum sese vicissim intelligunt: nec tamen materia in his communio est.

Passio duplex.

Actio & Passio vna communis materiae potest.

An intellectibile sit vnum specie.

Iam verò intellectionem non multò antea
ostensum est passionem quidem quandam esse;
at perficientem, non corrumpentem; verius-
que passioni quidpiam simile, quàm passionem:
hoc est impatibilem quandam intellectuum
formatum susceptorem. Et idè intellectum
intelligendo suscipere quidem, impatibilem ta-
men existere: perici, non periri neque corrup-
pi.

Propterea eiusdem cum obiectis, à quibus
perficitur, materia participans eum esse necesse
non est. Sensus cum obiecto sensili commu-
nem certè materiam habet; sed quatenus cor-
poreo utitur organo. Itaque duplex in eo cer-
nitur passio; vna corrumpens in organo, quod
communi materia constat; altera perficiens in
sensu, non corrumpens: illa qualitatem realem
suscipit, quæ perdendi ac dissipandi vim habet:
hæc iudicatoriam solam actionem, quæ perfice-
re duntaxat potest. Quam ob causam non per-
se, verùm ex accidente corrumpi ac periri sensus
dicitur in tex. 65. libri primi; propter corrup-
tionem eam, quæ fit in organo. Intellectus autem

In intel-
lectu
lectu
nica.

in intellectu, quæ in passionem est corrumpentem
& perficientem.

Verùm Simplicius alio prorsus modo phi-
losophi verba intellexit. Pati secundùm com-
mune quoddam diuisum fuisse: quoniam qua-
dam est vbique agentis & patientis communitas,
qua tale potestate est patiens, quale actu est agens.
Et intellectum potestate atque adè habitu se-
cundùm hanc communitatem, qua intellectuum
formatum susceptivus est, à superioribus formis,
quæ sunt in intellectu in actu, eatenus pati, quæ
potestate est id, quod actu est intellectus in actu
à quo is patitur: passione tamen perficiente, non
corrumpente.

Quæ interpretatio etsi aliis fortasse placere
possit, mihi tamen non placet. Primum quia ne-
quaquam ad rem responderet philosophus du-
bitationi propositæ. Dubitatio erat, quomodo
intellectus immaterialis à materialibus obiectis
intelligendo pati queat. Cui si respondeas, quæ-
admodum intellectus potestate aut habitu ab
intellectu in actu aut ab intellectibus formis,
quæ penes ipsum sunt, patitur; ad rem minimè
respondebis: neque dilues argumentum, quo in-
tellectu cum materia permittum esse probabatur.
Deinde cum argumentum in intellectu & in ma-
terialibus obiectis communem materiam con-
cluderet; Simplicius nescio quam agentis & pa-
tientis communitatem respondet, quæ diversi-
tas potius est, & velut diversitas in tex. 54. & 62.
superioris libri adferebatur: vbi cū sensus diceretur
esse potestate id, quod actu est sensibile; inde
colligebatur ea esse dissimilia antequàm sentiamus;
alterum potestate, alterum actu; similia
postquam senserimus; quoniam ambo sunt actu.
Tum verò accedit, quòd hæc sunt philosophi
verba (pati secundùm commune quoddam diui-
sum est. Simplicius autem vel nullam passionis
diuisionem facit; vel eam, qua tum intellectus
potestate, tum is qui habitu, patitur ab illo, qui
est actu. At passionis hæc diuisio nusquam antea
facta est. Illa verò non semel, tum in sensu, tum

in intellectu, quæ in passionem est corrumpentem
& perficientem.

Qui Simplicii patrocinio suscepto metaphy-
sicos libros citari dixerunt, in quibus ostensum
fuerit, patiens ita diuisum esse ab agente vt com-
mune aliquid cum eo habeat: intelligere debui-
sent hac oratione non dilui, sed confirmari dubi-
tationem, quam diluere aggrediebatur. Siquid
hæc ipsa erat dubitatio antea proposita, intelle-
ctum vt pati possit à materialibus, commune
cum illis materiam habere: metaphysicos autem
libros, qui vel ipsa inscriptione posteriores sunt,
nusquam his priores appellasset. Post naturalis
enim omnes tactatus illi consequuntur. Satis
fuisse priorem de ortu, & interitum librum dicere
in quo illud ipsum continetur. Sed nec philoso-
phi consuetudo est ita loqui cum alium librum
seu tractatum citat: verum aut proprio illum ap-
pellat nomine, aut hoc sermone utitur (vt in aliis
dictum est.

Hac igitur Simplicij interpretatione consu-
ta, priorem inchoatam prosequamur: quam se-
quentibus item verbis facillè intelliges confirma-
ri. Nam velut confirmationem seu explicationem
eius, quod pati dixerat prius diuisum esse, cau-
sam quoque adiungens particulam, intellectum
statim addit potestate quodam modo intellectu
esse, actu autem nullum priusquam intelligat.

Quæ ipsa verba cum ex superioribus repetantur,
(ex tex. inquam 3. & 5.) longiore commentario
non indigent, cum ibi satis fuerint explicata. Ple-
nè autem ostendunt de qua potestate sit sermo:
& quo sensu dictum sit, pati tuisse prius diuisum.
Nempe de passione, quæ in illorum obiectorum
susceptione cernitur; quibus intellectus nature
sua conditione carere & ad ea potestate esse
dicebatur cum primum producitur, prius-
quam omnino quidquam intellexerit. Quæ pas-
sio antea diuisa fuisse dicitur; quia in corrup-
pentem & perficientem diuisa est; ostensumque
in intellectu duntaxat esse. Ideoque nunc addit
(quodam modo) quia non est quouis modo po-
testate, sicut sensus & materia, quæ ad corrup-
pentes formas passionemque proprie dictam
sunt potestate: sed ad intellectuales solum formas
perficientemque & impatibilem passionem. Di-
xit etiam (quodammodo) quoniam non est po-
testate ad suscipienda ipsa entia materialia vt in
seipsis sunt & vt in organo sensus suscipiuntur: sic
enim sanè communi opus esset materia, vt est in
organum sensus) sed quodam modo, hoc est in-
tellectuales solum eorum formas, & notiones spon-
tate quatenus materialia sunt, sed qua tenus intellectu-
lia, omnique spoliata materia. Atque ita tantum
abest, vt vlla in eo materia sit necessaria, vt nulla
prorsus esse queat. Intellectuales namque forme, vt
sunt sine omni materia, sic immaterialia penitus
subiectu & facultatem postulant. Præterea causam
continent illa verba, cur intellectus corrumpen-
te passione non patitur, sed solum perficitur.
Quoniam corrumpens passio inter cõtrarias ver-
satur formas; quarum altera in patiente subiecto
sit atque ab altera accedente pellatur. Intellectus
nullius rei formam in se habet, nulla igitur pelli
potest; nec corrumpente passione pati, sed perfici-
ente, dum omnes suscipit.

TEXTVS.

A

Digestio XXV. Quatenus intellectus tabella comparatur.

TEXTVS.

Ἐὰν δὲ ἄλλοις, ἄνευ τοῦ γραμματικῶν ὅτι ἡδὲν ἰσχυροῦς ἔσται ἡ ψυχῆς ἡγεμονία καὶ οὐκ ἔσται ἡ τοῦ νοῦ.

Oportet autem perinde atque in tabella, in quam nihil est adscriptum: quod in intellectu accidit.

COMMENTARIVS XC.

DVo de intellectu proximis verbis affirmavit. Alterum, intellectus intelligentis passionem perfectionem esse, non corruptionem. Alterum, intellectum priusquam intelligat, potestate, non actu, intellectilia esse. Propterea exemplum tabellæ non scriptæ, quod subiungitur, ad prioris explicationem à Themistio, ad posterioris à Philopono & Simplicio existimatum est pertinere. Vtrumque arbitror ego voluisse philosophum exemplo vnico, vti intellectu se habeat, breuitate summa exponere. Nam etsi exemplum rhetorica potius probatio sit, vt in r. Rhetoricorum lib. cap. 2. traditur; eo tamen ad obsecutores, quæ in scientiis occurrunt, difficultates illustrandas persæpe vitur. Hoc verb aptissimum est ad id, quod agitur, explicandum; quod proprium exempli munus est. Etenim si declarare volueris, quemadmodum intellectu perficiens sit, non corrumpens aut transmutans passio; tabellam non scriptam accipias. In quadam litterarum elementa, apices, & characteres inscripseris; passionem quidem cerne quâpiam, dum ea suscipit, quæ inscribuntur: at perficientem, non corrumpentem aut illam à sua natura dimouentem. Perficitur namque tunc temporis tabella scriptoris opera, nec in ea quidquam corrumpitur; characteres illos suscipit, nec vilius rei iacturam facit; sed exornatur, perficitur, finem suum consequitur. Ita intellectum quoque intellectilibus formis absque rei vilius intellectu docebis excoli, perfici, exornari: nec tã ab intellectilibus pati, vt Themistius loquitur, quam in ipsa quasi transire. Sin autem ruditatem illam & potestatem monstrare liberit, qua nullam ex se habet actu intellectilium illarum formarum sed est ad omnes potestate; illam ipsam tabellam monstrabis littera nulla, nulloque characterè ob signatam, sed ad cuiusvis ob signationem aptissimè comparatam. Similitudo porrò illa, quam Auerrøes addit; quemadmodum tabella tum actu primo characterum caret, tum secundo specierum intentionalium, quibus aspectum mouet & actu secundo sit sensilis; sic intellectum sua natura, tum intellectilibus formis, tum ipsa intellectione carere: vt vera esse concedatur, nihil tamen est ad rem. Cum Aristoteli propositum sit solam intellectilium formarum carentiam ostendere. Deinde intentionales species in sensu, atque intellectiles in intellectu ab intellectione diuersas Auerrøes accepit: quorum neutrum puto ego verum esse, neque ab Aristotele, veteribusque peripateticis admittum.

Exemplorum vnu.

Intellectus vultus in tabella non scripta.

Auerrøes.

Cuius scriptoria potius, quæ pictoria tabella.

Plotinus.

Proclus.

Ceterum hoc exemplo abusi sunt complures. Nam vt à posterioribus incipiam; pictoriam tabulam intellexit Auerrøes. Quod etsi ad id, quod quærebatur, explicandum, haud magnopere interfuit: & in Philebo Socrates apud Platonem, vnde hoc fortasse accepit philosophus, tum libro, tũ pictoria tabula similit animã fecit: scriptoriam tamen potius intelligere oportet. Si quidem γραμματικῶν non pictoriam, sed scriptoriam tabellam, qua veteres olim utebantur; aut libellum ad scribendum comparatum, Aristoteles dixit; ἀπὸ τοῦ γραμματικῶν, quod litteram significat. Cartam nunc nos diceremus, qua pro tabellis ad scribendum vitur. At cur scriptoriam maluit, quàm pictoriam tabellam nominare? Eam opinor fuisse causam, vt accommodatum magis & simile exemplum esset. Cum enim ea, quæ loquimur aut scribimus, ex intellectu proteniant; sintque loquutio & scriptio velut partus quidam & effectus intellectus: maiorem multò vidit esse eum intellectu affinitatem ac similitudinem scriptoriae, quàm pictoriae, tabellæ; atque illius potius, quàm huius, vsu consuetum doctrinæ modum seruari; qui est ab effectu ad causam, ex effectu naturam & conditionem causæ, tum inuestigando, tum explicando.

Ante Auerrøem autem Plotinus in extremo libro de sensu & memoria tabellam quidem seu scriptorium libellum dixit: sed minime probauit exemplum. Quòd animæ cognitione nollet impressione formarum & quasi inscriptione ab obiectis facta costare; sed propria ipsius virtute & actione circa obiecta. Verum aut calumniari libuit, aut philosophi sententiam assequutus non est. Neque enim is cognitionem negauit actionem esse ab anima protectam; neque cognitionem appellauit passionem, quòd ab obiectis imprimantur formæ (hac enim ex parte Plotino assensendum puto) neque demum hoc tabellæ exemplum eò spectat. Sed intelligere atque ad eò sentire passionem quandam esse affirmavit; quòd etsi actio sit, ea tamen tum in cognoscente facultate suscipitur, tum cognitæ rei forma est & similitudo; que dum in anima suscipitur quodam modo paritur anima rerumque cognitarum formis ceu characteribus inscribitur. At Platonium hominem carpendi Aristotelis occasionem arripuisse aut potius extorsisse mirandum non est.

E Quemadmodum nec Proclus miraberis in primum Platonis Alcibiadem; cum disciplinas reminiscencias esse posuisset, animas negasse tabellas esse litterarum vacuas, quæ figuras accipiant extrinsecus. Sunt enim, inquit, semper inscriptæ, & ipse scriptor est intus. Neque tamen omnes inscripta legere possunt, vel quòd inscripta sint cognoscere. Quippe cum ob generificam obliuionem oculus earum sit sordibus circumfusis atque ex ipsa obliuione in passiones inciderint. Solam igitur opus est aufferre